



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cingani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE ERYTHACO.
SOLITUDINARIUS. CAP. LVI.

Solitudinarius hominem qui significant, Erythacum avem pingunt, quæ quidem ita secessu ac solitudine gaudeat, ut raro duas vel in eodem saltu reperire possis. Eam Theodorus modo Sylviæ, modo Rubeculam appellat: alterum à sylvarum desertis, alterum à rubris indicio, quod ex Græca dictione colligitur.

*Quidam sic
hyeme vo-
cant: est te-
vero Phani-
currum, à
cauda ru-
bea.*

DE CINCO.

PAUPERRIMUS. CAP. LVII.

Inveniebam extremæ paupertatis hominem per Cinclum avem pictam significari. Causam Ailianus affatim explicavit, qui Cinclum avem esse dicit imbecillam, invalidamque adeo, ut nidum sibi ipsa parere non possit, alienisq; ideo nidis ovifortare. Est & apud Suidam aliqua de Cinco mentio, cui nomen à caudæ motatione sit *σεισπρωγδι*. Ea nimirum Jynx est, de qua nunc agebamus. Hanc sane vulgus plerisque locis, Græcum vocabulum exprimendo, *Codaquassulam* dicit. Interpretes Theocriti hoc ipsum agnoscunt, & *καγκλιζεν*, *lumbos motare*, dicunt, quod Latini *fluente lumbos* reddidere.

*δὸν τὴν ἰσο-
σπρωγίαν,
i. e. à rubi-
scendo.*

CINGANI. CAP. LVIII.

Cum itaque Cinclus inops adeo sit, neque certo usquam lare utatur, nonnulli erroneos illos, qui nunc totum terrarum orbem mendicabundi cum chiromanticis uxoribus & liberis peragrant, nusquam certas domos habentes, quos vulgæ Cinganos vocamus, Cinclos ab avis hujus similitudine appellatos arbitrantur.

ADVENA. CAP. LIX.

Quamquam in univèrsum omne genus avium, quod aruspices pro peregrinis, advenis & con-venis accipiunt: ut ostenti ejus declaratione patuit, quod Alexandro oblatum est, dum condendæ urbis Alexandrinæ in Ægypto modulum ab architectis deposcebat, forteque evenisse ut neque gypsus, neque alba terra uspiam inveniretur, quo situm & magnitudinem cupido Regi describerent, architecti ad farinæ opem se contulerunt, eaque disseminata quaqua urbis mœnia du- cenda erant, accidit ut aves ad eam depascendam avidius advolarent: quo quidem ostento terri- tus est Alexander: sed aruspices respondere, prospera urbi ex hoc portendi, quod futura esset omni- um & nutrix & alumna, solique ubertatem esset alienis quoque gentibus largissime communicatu- ra.

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM
LIBER XXVI.

DE IIS QUÆ PER APEM, ET ID GENUS
CÆTERA SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD MAGNIFICUM PETRUM MELLINUM ROM. SENATUS
CANCELLARIUM.

Volatilium significationes, quas in aliquot digestimus commentaria, legisse te scribis, Petre Meline Romanorum ingeniorum præfens decus & ornamentum, in quibus & Apem habere voluisses, quæ, quod mellifica est, ad domus tuæ gentile nomen cognationem quandam habere videatur. Proinde, si quam, ut superiori anno fecisti, adium tuarum parietem victuris ornare pares, habiturum te speras